



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.3. ejusdem fastidium & amaritudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

## DE TIMORE DOMINI.

7

quid? paululum mellis. quo exitu? **E**cce  
morior.

### §. 2. Voluptatis usura turpissima.

Quid quòd omnis in luto est voluptas;  
ut non tamen brevitate, quām fœditate deter-  
reat? Inter homines desīsse te puta, ex quo  
ad mulorum equorūmve voluptates, tan-  
quām emissarius, adhinnire cœperis. Eò etiā  
am turpior bestiis, quòd illæ sine ratione,  
tu cum ratione insanias; illæ naturæ impetu,  
tu arbitrii consensu. O rem pudendam!  
quam oculis nemo humanis audeat com-  
mittere, nemo divinis possit subtrahere. O  
deplorandam! quam nemo emit unquam,  
nisi sui jacturâ. Vide, vide fugitivum; vide  
exulem à se ipso parentem dicam, an filium?  
utrumque. Latet Adamus, fugit Cainus; neu-  
ter evadit. ô latibulum! ô fugam! ô cri-  
minis audaciam! etiāmne Deo illudi posse  
speras infelix, tu vel in secreto publicus?

### §. 3. ejusdem fastidium & amaritudo.

Momentum dixeram voluptatis. Erravi.  
Aceti plus habet & fellis, quām mellis. Pun-  
git & cùm venit, & cùm recedit. [ Habet oin-  
nis hoc voluptas, stimulis agit fruenteis, a-  
piumque par volantū, ubi grata mella fu-  
dit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda

## LIBER I.

§ morsu. *Boëtius de consol. Phil. l. 3.* Ipso in  
procinctu audies conscientiam oblatran-  
tem: Ah! miser, quò ruis? ubi pudor? ubi  
Deus? Hic, hic juxta te; quem videntem,  
quem vindicantem non effugies. Ipso in ex-  
itu ita perorabit: Admisisti? consensisti in-  
felix? & quidem tua illa voluptatula, tanto  
ambitu quæsita, ex oculis evanuit: ex oculis  
dico, non ex animo; apud quem restat ex  
illa posthumus dolor, longè acerbissimus  
partus. (In felle amaritudinis, & obligatio-  
ne iniquitatis video te esse. *Act. 8.*) Agnos-  
ce igitur. Non postrema gaudii modò, sed  
principia quoque luctus obsedit. Sit ante  
oculos Ammon, (2. *Regum* 13.) Ille, ille con-  
tabescens & desiderio sceleris, & fastidio:  
miser utrobius, post & ante peccatum; sed  
utrobius speculum tui.

### §. 4. *Gratia dispensium.*

Atque hæc damna ne gentiles quidem  
nesciere. Accipe nunc, quæ Christiani, quæ  
Patres, quæ Fides tua persuasit.

Ad pecudum sortem miseros, dixi, vene-  
fica illa prorsus abjecit. Utinam hic finis  
esset, & non etiam ad dæmonum horribi-  
lem conditionem damnaret! Aspicite, aspi-  
cite, Adolescentes, quæ doleant. Animum  
ego.